Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 775
Quelle:
Copyright:



*humeris intelligam, optarem a ſummo optimoque Joue* &c. Cauſſa, quod Autorem *publice poetarum lectionis in hoc ſuo gymnaſio dignum eſſe percenſuit* Princeps. Itaque laus Urbis, *quam Galli a baccis virgulti minutiſſimi* (Myrtilli) *Heydelbergam nominarunt*, quae etiam *Marq. Freheri* et *Pauli Meliſſi* fuit opinio, ſed quid hic *Galli?* Laus ampla *Friderici* a ſtirpe, et Geſtis, inter quae cum Victoria de foederatis Principibus a. 1462. relata non cenſeatur, Panegyricum hunc anteriorem aeſtate illius anni eſſe oportet. Definit ille in verſus, quos inter:

*Vincere fortunam magis* (plus?) *eſt, quam monſtra domare.*
*Herculeo majus nomine nomen habes.*

4) *Debita Curialium Sacerdotum.* Minus apta inſcriptio. Παραινεσις enim eſt in modum Epiſtolae ad *Johannem Erneſti* hominem quidem ſacrum, ſed *Friderici* Principis negotiis aulicis ita immerſum, ut inde morbum cardiacum contraxerit, e quo cum convaleſcentem *Luderus* artis medicae, ut ipſe ait, non imperitus inviſiſſet, occaſionem inde nactus ſuadet, ut *corpus quietum et mentem tranquillam* praebeat, evitetque *ambitionem atque aridam auri habendi ſitim*, congeſtis in hanc rem plurimis Veterum locis. Initium eſt: *Cum nuper V. C. caſum valitudinis tue peracerbum intelligendo vna cum petro brechtel viro omnium humaniſſimo* &c. Et finis: *et auctoritate tua confirmes. Vale iterum et me tibi deditum habeto et commendatum. Datum Heydelberge 6°. nonas Madij* (ab Italia relatum) 1458. En igitur Virum haud indoctum, cujus reſuſcitata memoria ſaltem Senatui Academico *Heidelberg.* jucunda eſſe poſſit.

X. *fol.* 80. *Tractatus Magiſtri Jordani de dignitate Imperiali.* Retuli Tractatum hunc etiam inſcriptum *de Translatione*, item *de Commendatione Rom. Imperii Vol.* I. P. II. *Cod.* CCCXII. Exemplum praeſens pariter *Memoriale Jacobi Card. Columnae* praefert, utiliterque cum praecedente ob varietatem lectionis contendi poterit. Cetera vide loco mox *cit.* Ad calcem: *Et tantum de Regibus. Anno &c. quinquageſimo quarto.*

XI. *fol.* 112. ἀνεπιγραφως Comoedia praemiſſo Prologo metrico, et Argumento proſaico, quorum ille proſodia non parum vapulante incipit:

*Corripio matres, gnatas ne numina ducant*
*Sanctorum ſpectare virum, nec grandia geſta* &c.

iſtud vero amatoriam Fabulam *Gracchi* et *Poliſcenes* (Polyxenae?) in nuptias, uti mos, deſinentem, et technas *Gurgulionis*

(Cur-